





DE

NONNVLIS  
CIRCA SVDORES FRIGIDOS  
IN FEBRE ACVTA

ATTENDENDIS

17693

OB

DOCTORIS DIGNITATEM

SOLEMNITER CONSEQVENDAM

DIE X. MARTII CIO IO CCLXVIII

PVBLINE DISPVTABIT

CAROLVS FRIDERICVS LENTNER

VRATISLAVIENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS CVRTIANIS.

W. A. G. 18

DE

MONUMEN

CIRCA 1700. BRITISH

AGAETIC

TRINITY COLLEGE

BOOKS OF THE LIBRARY

MEMORIAL LIBRARY

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES

COLLECTED BY JOHN

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES

MAGNO. SILESIAE. MEDICO

V I R O

EXCELLENTISSIMO. DOCTISSIMO. EXPERIENTISSIMO  
APVD. EXTEROS. QVOQVE. CLARISSIMO

D O M I N O

D. BALTH. LVDOVICO  
TRALLES

SERENISSIMO. DVCI. GOTHANO. A CONSILIIS. AVLICIS  
IMPERIALIS. ACADEMIAE. NATVRAE. CVRIOSORVM. ADIVNCTO  
ET. SOCIETATIS. BAVARICAE. SODALI

F A V T O R I . A V V N C V L O

SVMME. COLENDO



HANC

DISPV TATIONEM. IN AVGVRALEM

TANQVAM

PUBLICVM. REVERENTIAE. SIGNVM

CAROLVS. FRIDERICVS. LENTNER

DIE X MARTII CLO ID COLXVIII.

DE  
NON N V L L I S  
CIRCA S V D O R E S F R I G I D O S  
IN FEBRE ACVTA ATTENDENDIS  
DISPV TAT I O.

---

---

Ιπποκρατ. Αφροδισμ. IV, 37.

Οι ψυχροι ιδρωτες, ον μεν οξει πυρετω γενομενοι, θανατον σημανουσι.  
Frigidi sudores cum acuta quidem febre mortem significant.

§. I.

Magnam partem officii medicorum in eo poni, ut semper de inueniendo nexu solliciti sint, qui inter morbum et causas eiusdem intercedit, Empiricis quidem inauditum, apud Medicos autem rationales confecta res est. Idem enim phaenomenon, in aegroto corpore deprehensum, a diuersis saepe machinae vitiis produci potest, atque eiusdem periculum inter alia etiam ex horum magnitudine aestimari debet. Vnum exemplum citasse sufficiat. Simul frigidus quidam sudor sese tactui offert in febre acuta, imperiti mortem instare clamant, id vel legisse vel audi-

*Instituti  
ratio.*

uisse contenti, nulloque modo causam forte leuiorem inuestigan-  
tes. Satis dignum mihi videtur momentum, vt exponatur dispu-  
tatione inaugurali, quam submittere examini eruditorum statutis  
Academiae iubeor. Hinc exceptiones nonnullas ostendam, quae  
dictum sudorem semper lethalem pronunciari posse vetant. Ordo  
autem tractationis meae hic est. Primo nempe sudorem in  
genere paucis attingam, iis praemissis, quae ex Anatomia ad  
eundem intelligendum peti debent; deinde sudoris frigidi in febre  
acuta lethalis ortum exponam, et conditionem, sub qua talen-  
tum fuisse constitit; tandemque propositio huius libelli princeps tra-  
detur, congruis decenter euicta argumentis atque ipsa obserua-  
tione non destituta.

## §. II.

*Descriptio  
cutis.*

Obuoluitur omnis exterior habitus corporis inuolucro quo-  
dam insensili, cui Epidermidis vel cuticulae nomen imponi solet.  
Squamulis constat, sibi inuicem incumbentibus atque poris perfora-  
rata est copiosis. Interior eius superficies magis pulposa, semi-  
fluida et quasi ex muco concreta, Rete vocant Malpighianum.  
Ipsa denique cutis succedit, reti substrata, tela ex stipatissima cel-  
lulosa varie intricata composita, porosa, vasculis sanguiferis picta,  
neruis et insigni exhalantium et inhalantium canalium numero  
abundans, ita ut multa millia eorum in vnius fabuli grani spatio  
aperiantur. Hiant autem in respondentes cuticulae poros, quam  
hoc modo ad cutem reuinciunt. Sub hac demum variae glandu-

iae

lae sedent, quae oleosum quoddam per ductus eandem perforantes effundunt.

Cf. Boerhauii Praelect. Tom. III. p. 405. 406. n. l. Ill. ab Haller primae lin. Physiol. §. CCCXXII. CCCXXIV. CCCXXV.  
CCCXXVII. CCCXXXIII.

### §. III.

Ex vasculis illis numerosis exhalantibus modo dictis ordinario *Transpirationis et sudoris ortus*, excernitur fluidum, vaporis imperceptibilis speciem praeseferens; nonnunquam autem copiosius atque densius quoddam, ita ut guttularum instar conspicuum fiat. Prior excretio *perspiratio Sancto-riana*; altera vero *sudatio* appellatur. Prius excretum *perspirabile*; alterum *sudor*.

Quamvis mihi de iisdem non sermo sit, definitione tamen excludere nolo sudores sanguineos, interdum a claris auctoribus comprehensos, qualia exempla citat Boerhauius Tom. Praelect. III. p. 396. de femina, cui, obstruclis naturalibus viis, menstrua per cutem totius corporis exstilarunt; de alia p. 414. cui eadem per capitis poros eruperunt; de nobili Hiberno p. sq. cui sanguis ruber ex apice minimi digiti periodice fluxit. Sudorem vero glandulosum dictum excludo, quem glandulae oleosum quoddam emitant, a natura fluidi perspirabilis atque ipsius sudoris nostri alienum, quod quidem cum eo permiscetur, potius autem destinatum est ad inungenda integumenta.

### §. IV.

## §. IV.

*Olservatio-* Quando progressius sanguinis motus certo gradu fortior redditur, a quacunque causa id etiam fiat, guttulas in superficie corporis prodire videbis, si nempe viarum impermeabilitas non obliterit.

## §. V.

*Olservatio-* Idem fieri olservabis, si exterior habitus modo determinato relaxetur, seruata tamen eadem conditione vasorum ad §. antec. proposita.

## §. VI.

*Quid ad sudorem quemque requiriatur?* Cuiuscunque sudoris excretio praeter canalium permeabilitatem, vel maiorem in eos fluidi impetum, vel laxitatem eorum, vel utrumque coniunctim postulat. Sudor materia perspirabili densior est §. III. absque dubio itaque ductus ampliores requirit. Sed pone, hos ita resistere, vt fluidum, in eosdem impetu agens consueto, dilatationem perficere nequeat: nonne tunc imperus idem augeri debet, vt obstaculum sibi oppositum supereretur? Pone contra, vires fluidi allidentis positiae non auctas esse, et sudorem tamen profundi debere, nonne laxitas canalium adsit, oportet? Alias enim perspirabile tantum erumperet. Pone demum, harum vnam conditionem adhuc imparem esse effectui in casu obvio producendo: hic vt simul concurrat altera, necessarium erit.

## §. VII.

## §. VII.

*Calor Physicis* dicitur motus particularum phlogisticarum: *Notio calor*  
*insigniter imminutus eiusdem gradus frigoris* notionem constituit. *Notio calor et frigoris.*

Conf. Magni Segneri, inter principes Seculi nostri Physicos referendi,  
 atque optimi Praeceptoris Einleitung in die Naturlehre §. 320.

Vltro adeoque non nisi conceptus relatiuos esse appetet, et idem cor-  
 pus calidum poteris vocare et frigidum, si modo in casu priori  
 cum minus in casu posteriori cum magis calido compares. Sic  
 tepidum quoddam conclave, multis laboribus exercitato frigi-  
 dum, alii autem frigentii calidum esse videbitur.

## §. VIII.

*Sudor frigidus* erit, qui manui, ordinario gradu caloris, in *Notio sudori frigidi et lethalis.*  
 humano corpore obuii, praeditae sensum frigoris imprimit; isque *lethalis* dicitur, quando mortem certo futuram significat.

Ita determipare notionem ipsa rei necessitas exigit, prout abunde  
 intelligi potest ex scholio §. ant. Si enim Medici manus valdo-  
 pere calens ad sudantis aegroti corpus applicetur, etiam tepides  
 sudor speciem frigidi p[ro]ae se feret. Vnde lapsus facillimus in  
 turpes errores.

## §. IX.

Obseruatur interdum in febre cuidam acutae obnoxiis frigi-  
 dus sudor cum pulsu eodem tempore vix sensibili; cor inaequaliter  
 atque summa debilitate micat; adspectus pallidus est; mors tan-  
 dem presso, vt aiunt, pede subsequitur.

B

## §. X.

## §. X.

*Sanguis ob debilitatem cordis frigescens.* Corde insigniter debilitato sanguis in peripheria frigescere debet. Sanguis enim motu suo calorem producit, (per experientiam), quamvis de modo inter Physiologos disceptetur. Quodsi ergo sanguinis motus valdopere debilis redditur, calor inde etiam producendus minimi gradus erit. Id vero, corde insigniter debilitati, fieri deprehendimus; unde liquet, minimum tunc produci calorem, adeoque sanguinem ipsum frigescere. §. VII.

## §. XI.

*Serum a sanguine frigescente secernitur, atque in sanguine frigescente perficiem cutis defertur, frigidum erit. Partes sanguinem ipsum secretum frigidum.* Serum, quod a sanguine frigescente secernitur, atque in sanguine frigescente perficiem cutis defertur, frigidum erit. Partes sanguinem ipsum constituentes eodem calidiores esse non possunt. Quum itaque (per nostram hypothesin) idem frigescat: serum ab eodem secretum non minus frigescere oportebit. Quum porro sanguis semper calidior sit corporis nostri integrumentis, serum eadem transundo id, quod adhuc caloris restabat, amittet, atque ad superficiem cutis delatum frigidum humoris speciem prae se feret.

## §. XII.

*Ortus frigidi sudoris in febre acuta ori potest. Praesente enim summa cordis debilitate sanguis in peripheriam debiliter influit; ergo unum sit momentum oportet, vbi arteriae illam perreprantes non amplius distenduntur; hoc igitur sece contrahunt ob elasticam vim atque probabilem muscularam; sanguinem, quum sint graciles, non difficulter in venas conti-*

continuas vrgent, serum vero in ductus excretorios pellunt, a) rotto corpore, febris vehementia debilitato, etiam laxos b). Constrictio ita arteriis proximae cutis fibrae simul stringuntur atque haec ipsa constrictio continuatur ad canales connexos excretorios et venosos; posteriores in trunculos subcutaneos inaniuntur, priores contenta in superficiem corporis excernunt. Hinc sudor, qui tanquam a sanguine frigescente per §. IX. secretus, ipse necessario frigidus erit §. X.

- a) Constrictionem vasorum pallor probat: quo enim alio modo sanguis exterminaretur? A partibus vero internis incipere deberet, nam si ab externis inciperet, nullus sudor prodiret.
- b) Vel enim sudor frequens fuit, vel siccus calor: in utroque casu laxari debuerunt. Neque minus huc facere possent resoluti sphincteruli, oscula vasorum, sudorem vehentium, cingentes, quorum praesentiam valdopere probabilem esse contendunt magnus Boerhauius atque Hallerus, sed non demonstrant.

### §. XIII.

*Sudor frigidus in febre acuta, ex summa cordis debilitate ortus, letalis erit.* Dicta enim cordis debilitas in febre acuta, quae frigidum producebat sudorem §. antec. certo demum mortem producit (per principia Pathologica): eadem ergo et sudor frigidus a communi causa dependent. Si qua autem a communi causa dependent, eorum unum alterius signum est, id fusius edocente Onthologia: frigidus itaque sudor in febre acuta, a summa cordis de-

*Frigidi sudores in febre acuta quando letalis?*

bilitate ortus, mortem certo futuram significat, siue, aliter idem enunciando, lethalis est.

#### §. XIV.

*Quando idem non sit lethalis; summa cordis debilitate praesenti, neque cum eadem futura connectum: is omnino lethalis non erit.* Summa cordis debilitas prout mortis causa spectari debet per §. antec. Quicquid vero non causam mortis vel praesentem vel futuram significat, illud significare non potest mortem futuram. Consequenter quid debilitati cordis vel debilitandi signum non est, signum non esse poterit mortis futurae. Id autem, quod cum alio non connectitur, illud sese habere nequit ut eius signum (per principia Ontologiae): vnde quod non cum summa cordis debilitate connectitur, ut signum eiusdem adeoque ut signum mortis futurae spectari non potest. Quae omnia quin ad frigidum in acuta febre sudorem transferantur, nil verat.

#### §. XV.

*Sudoris frigidis ex spasmo peripherico etiam omnino frigidus apparere debet.* Spasmi peripherici notio habitus corporis exterioris constrictiōnem inuoluit, vasa ergo in cutes sanguinea aequē constringantur oportet: quo factō laticis rubri, causam caloris per §. X. constituentis, in cute defectus ponitur, inde necessario refrigeranda. Superficie autem sic mutata, quam

occu-

occupat sudor, ipse physicae legi conuenienter eandem mutatio-  
nem subibit.

### §. XVI.

*Quum de specie vera sint, quae de genere praedicantur; propositio-*  
*sitio demum enicta etiam de sudore febris acutae valebit. §. ant.* *Consecta-*  
*riuum.*

### §. XVII.

*Hinc aëre frigido ad corpus acute febriens atque sudans admisso,* *Idem ob-*  
*frigidum adessè sudorem deprehendes. Frigidus enim aër spasnum pe-* *aërem fri-*  
*riphericum sibi comitem habet, vnde sudorem in frigidum mutari* *gidum ad-*  
*ostendimus §. antec. Ergo euidens propositio-* *missum.*

Hac sententia autem non excludo sudoris refrigerationem, quae fieri  
 deberet ob contactum aëris frigidi immediatum, licet a spasmo,  
 ab eodem in peripheria producto, recedamus.

### §. XVIII.

*Quare quid membrorum nudationes, iactatio corporis atque* *Consecta-*  
*recitationes stragulorum, in frigido conclavi susceptae, efficient, vi-* *rium.*  
 tro palebit §. antec.

### §. XIX.

*Quod si etiam ex febre acuta aegrotum atque sudantem spasmi* *Ob spasmos*  
*varii generis torqueant, frigidus sudor quin comparere possit, mul-* *varii gene-*  
*tum dubium est. In spasmis, prout vberius docet Pathologia, non*  
 deficiunt motus febribles et peripheriae constrictio, ob cuius pree-

sentiam, nisi haec viribus fluidi, orificia du&ltum cutaneorum distendentis, impediatur, sudor frigidus necessarius erit. §. XV.

## §. XX.

*Consecta-* *Hic adeoque in censem veniunt cardialgia, lumbago, ma-*  
*rium.* *lum ischiadicum, podagra, aliaeque spasmorum species satis cogni-*  
*tiae.* §. antec.

## §. XXI.

*Ob dissen-* *Neque minus sudorem frigidum obseruare licebit, si in altero*  
*siones par-* *stadio febris acutae, ubi sudor erumpere solet, diffensiones partium*  
*tium inter-* *narum internarum obtineant. Demonstrationem huius assumti omitto,*  
*narum.* *quippe quae plenarie similis foret ad §. XIX. propositae, quorsum*  
*itaque lector relegatur.*

## §. XXII.

*Consecta-* *Inde vides, hoc pertinere flatulentiam, aliui obftru&ltionem,*  
*rium.* *molimina ad excretiones sanguineas, menstruae purgationis et bae-*  
*morrhoidum fluxus exemplo, vel quae sunt huius indolis alia.*  
*§. anteced.*

## §. XXIII.

*Sudor fri-* *Sudor frigidus, a momentis §. XVII ~ XXII. enarratis de-*  
*gidus in his* *casibus non pendens, neque cum praesenti cordis debilitate maximi gradus, ne-*  
*concretitur* *cum debili- que cum futura eadem semper concretitur. Quando enim in febre*  
*acuta*

acuta vel spasmi, vel partium internarum distensiones, vel causae <sup>tate cordis</sup>  
 quaedam externae contingunt, producentes constrictiōnem periphe- <sup>maximi gradus.</sup>  
 riae, non semper aut cum futura aut cum praesenti cordis debili-  
 tate maximi gradus conēctuntur, prout id obseruationes abunde  
 confirmant. Sed in Ontologia euincitur, non connecti effectum  
 cum aliqua re, quacum causa huius effectus non connectatur: er-  
 go frigidus sudor in febre acuta, vel a spasmis, vel a partium in-  
 ternarum distensione, vel a causis externis profiscens, non semper  
 cum dicta cordis debilitate conēctitur.

#### §. XXIV.

*Frigidus adeoque sudor in febre acuta non semper tanquam Confista-*  
*lethalis timeri debet.* In casibus §. antec. citatis nec cum praesenti  
 cordis debilitate maximi gradus, nec cum eadem futura semper  
 connectitur §. antec. Huius autem conditionis *frigidus sudor in*  
*febre acuta non semper lethalis est* §. XIV. Inde veram esse pro-  
 positionem patebit.

#### §. XXV.

Febris, composita ex duabus aut pluribus sui speciebus, dici. *Notio fe-*  
*bris complicata,* quae *dissona* est, quando earum paroxysmi <sup>bris com-</sup>  
 non simul inuadunt. <sup>plicatae ac-</sup>  
<sup>que disso-</sup>  
<sup>nas.</sup>

Conf. optimi praeceptoris D. Nietzki aurea disputatio de febribus com-  
 plicatis in genere. 1753 habita, §. LI, LXIII.

#### §. XXVI.

## §. XXVI.

*Frigidi sudores ob febrium complicata.* *Complicata in febre, et diffusa quidem, ob paroxysmorum non simultaneam invasione frigidi sudores possibles erunt. Quando febrium enim, complicationem efficientium, paroxysmi non simul inuadunt, primum vnius febris stadium vel in secundum alterius, vel in tempus plane vacuum cadet: ergo prioris etiam periphericus spasmus contingere poterit, dum sudores posterioris erumpunt, absente tamen impedimento ad finem §. XIX. commemorato. Tunc autem sudores frigidi reuera existent. §. XV. XVI.*

## §. XXVII.

*Notio febris tertiana et malignae.* *Febris tertiana est ea intermittentium species, quae quovis die tertio reddit; siue vbi duo paroxysmos vnuis dies vacuuus interlinigae. Febrem malignam dico eam continuam acutam, cuius materia, in aliud corpus importata, similem morbum in eodem efficere valet.*

## §. XXVIII.

*Nonnulla ex historiis tertianae.* *Si attendimus ad ea phaenomena, quae in febre tertiana prodire solent, inter alia etiam deprehendimus, spasmus periphericum, quocum fiunt eiusdem accessiones, ante meridiem circa solitum tempus prandendi, immo citius adhuc inuadere, per vnam, duas, quandoque tres horas durare, atque tantae vehementiae esse, ut non solum corporis extrema, ad tactum frigida percipiatur, sed et totum corpus a frigore quasi concuti, tandemque obriescere*

gescere videatur. Id stadium more febribus sueto excipit aestus, sudore deinceps subsequente. Atque haec omnia intra spatium quinque vel sex horarum communiter finiuntur.

Conf. D. Nietzki Elementa Pathol. vniuers. §. MDCXXVII.

MDCXLVIII.

### §. XXIX.

Circa febres, quas malignas vocaui, hic praesertim notari merentur sequentia. Anxietate praecordiorum, quae horroris, leuisissimi licet, aduentu augetur, insigni prostratione virium, pulsus debili, paruo, immo interdum valde obscuro se manifestant. Horis matutinis remittunt, pomeridianis autem exacerbantur. Optime demum per transpirationem soluuntur vel sudationem lenissimam, quibus suppressis vita aegroti in notable discriminem deiicitur.

Conf. Idem ibid. §. MDXLVII.

### §. XXX.

*Febris ex tertiana et maligna composita complicata est eaque dissona.* Quid sit febris ex tertiana et maligna composita?  
Duae enim species febris ad compositionem eiusdem concurrent, quarum una tempore matutino inuadit §. XXVIII. altera circa vesperam §. XXIX. ergo est complicata eaque dissona  
§. XXV.

### §. XXXI.

*In eiusmodi febre complicata §. anteced. sudores obseruari poterunt frigidii, itique ad febrem acutam pertinentes.* Dissona enim

C est

est §. ant. et eiusdem conditionis, vt spasmus periphericus tertianae incidat in malignae remissionem §. XXVIII - XXX, siue id tempus, vbi ordinario ex ea aegrotans vel transspirat vel sudat: vnde frigidi sudores §. XV. iique ad febrem acutam pertinentes.

## §. XXXII.

*Observa-*  
*tio.* Iuuenis quidam, annum aetatis vigesimum fere ingressus febre tertiana decubuit eaque maxime regulari. Inuasio enim febris statam semper horam seruauit, dum circa nonam matutinam alternis diebus frigus percipiebat cum calore illud sequente. Paroxysmi priores quidem satis acuti et longi, quippe qui per sex horas durabant, posteriores autem semper mitiores et leuiores, ita ut maxima spes erat citissimae sanationis. Sed res quaedam aduersa contigit iuueni nostro, eidem non exiguum terrorem incutiens animumque simul ad iram commouens, arque id factum est die febrili, dum sudare iamiam debebat. Valdopere mutabatur exinde status morbi. Tantum enim absuit, vt paroxysmus febrilis, qui alias statim a meridie cessare solebat, nunc conquiesceret, vt potius acerbissimus aestus per integrum noctem et diem sequentem, quam vacuam esse oportuisset in tertiana, continuaret. Circa vesperam paululum inhorrescebat aeger; de eximiis angoribus circa cor et prostrationibus virium conquerebatur. Aestus per integrum noctem continuus, nullus somnus, deliria intercurrentia. Die sequenti, eaque simul febrili intuitu tertianae, circa nonam tanto

tanto spasmo peripherico adfiebat, ut extrema corporis per duas fere horas frigida deprehensa sint. Anxietates praecordiorum magis augeri, viriumque iactura multo maior, quam praeterito die videbantur. Frigus id iam exceptit aestus febrilis cum mentis alienationibus. Facile sic colligi poterat, tertianae accessisse malignam: nec euentus fefeller iudicium. Die enim quinto, ex quo status morbi deterior esse incipiebat, purpura alba circa collum effloruit, interspersis peregrinis maculis obscure rubentibus. Adnotacione hic porro dignum est, quod praeter quotidiam inhorrescentium circa vesperam spasmus ille periphericus, qui mane cum frigore extremorum redibat, in illos dies incidenter, vbi alias natura in febribus malignis criticas excretiones molitur. Erant isti quintus, septimus, nonus, undecimus atque decimus quartus, quibus semper peius se habuit aeger quam intermediis. Septimo iste spasmus adeo saeviebat, ut inde omnia exanthemata, quae sat distinctae prodierant ad collum et pectus, prorsus iam euaneferent, actutum subortis dolore in pectori et angustiis respirandi. Congruis autem remedii in peripheriam rursus eliciebantur, atque post complicationem solutam ipsa demum sanitas rediit.

Conf. Clariss. Rueckeri Disput. inaugur. de febre tertiana complicata cum maligna sub Praesidio Illustr. Buechneri 1757 hic locorum defensia.

### §. XXIII.

*Si in febri perquam maligna transpirationis suppressio, facta Frigidus sudor in febre tertiane simul complicatae invasionem, non semper letalis esse bre malis depre-*

*gnae non deprehenditur: §. ant. frigidus sudor in febre maligna ob eandem rationem conspicuus etiam non semper lethalis erit.* Suppressio enim transpirationis in casu exposito producitur a spasmo peripherico tertianae. Sed causa non maior est effectu: (per princ. Ontol.) Ergo, si dicta transpirationis suppressio non semper lethalis est, constrictio peripheriae, a qua dependet, simili modo non semper lethalis erit. Sudor frigidus autem in nostro casu ab eadem constrictione perficitur: (per hypoth.) quum itaque vice versa effectus causa non maior sit; (per princ. Ontol.) idem frigidus sudor semper non erit lethalis, si semper lethalis non est peripheriae constrictio, eum determinans. Hinc si suppressio transpirationis in casu exposito non semper lethalis esse obseruatur: frigidus etiam sudor ibidem ob eandem rationem conspicuus non semper lethalis erit.

## §. XXXIV.

*Consecratio.  
rium.* Datur itaque frigidus sudor in febre acuta non semper lethalis  
§. ant. et XXVII.

## §. XXXV.

*Observatio.  
tio.* His omnibus, prout mihi quidem persuadeo, rite deductis, adne<sup>c</sup>tere lubet obseruationem ab optimo Praeceptore D. Nietzki mecum beneuole communicatam, ne vnum saltem exemplum deficiat, ad sententiam, quam in hac disputatione tueor, illustrandam. Femina quaedam quadraginta circiter annos nata ex suppressione men-

menstrui fluxus aegrotabat. Corripiebatur Synocho per eminentiam tali; septimo die deprehenditur sudor frigidus atque breui post sanguis ex genitalibus promanabat, qua excretione febris plenarie soluebatur.

Vides hic, molimina ad haemorrhagiam spasmodum periphericum prodixisse, sudorem in frigidum conuertentem: ille autem non impeditus fuit ab huius eruptione, quia grauis esse debet tum ob resistentiam vasorum vteriorum in femina fere quadrageatoria, partim ob vehementem congestionem a febre productam.

### §. XXXVI.

Ex hac tenus disputatis itaque sat abunde constabit, quam *Consectarium.* circumspete agendum sit Medico prognosin in febre acuta ex sudoris frigidi praesentia formaturo. Prius enim attendi debet ad causas externas §. XVII. ad spasmos §. XIX. ad conditiones canalis intestinalis §. XXII. ad varias excretiones sanguineas praeferunt in amabili sexu §. eod. ad ipsam forte obuiam complicacionem §. XXVI. Quibus demum rite consideraris, facilius, quid praesagiri quid non praesagiri possit, intelligetur.

### §. XXXVII.

Nihil iam supereft, quam ut adhuc de errore cogitem exi-  
mendo, qui, non quidem in legentium scripta, sed ea fugitiuo,  
ut aiunt, oculo perlustrantium animos forte irrepfit. Non di-  
sputauit ut reprehenderem senem diuinum, cuius in aphorismis id

dictum exstat, quod in fronte tractationis meae citatur, et cui eadem contraria esse nonnullis videbitur. Ostendere potius tantum volui, quomodo rite interpretari possit. Sudor in febre acuta frigidus, quem non semper lethalem esse contendo, aliunde efficitur, quam ab hac febre, si vero ab eadem dependerit, lubens in Hippocratis partes abeo.

## §. XXXVIII.

*Conclusio.* Et sic finis imponitur scriptiunculae, quam Academiae leges postulabant. Fusius dicta forent nonnulla, praesertim de complicatione, nisi properandum fuisset. Quomodo satisfecerim officio meo, id lectoribus iudicandum relinquo, sed peritis et Medicis: ineptorum iniurias curare non placet. Si quis tandem disputacionis huius occasione libellum quendam famosum consuere pruriat, prout mos iam inualescere coepit: ipse me primum futurum pollinco, qui, auctorem si nouerim, hos ingenii sui labores compenseret munusculo quadam.

*Famelica enim hominum natio.*

V I R O  
N O B I L I S S I M O D O C T I S S I M O  
A M I C O O P T I M O  
C. F. L E N T N E R O

S. D. P.

I. S. I. W A R B V R G

O P P O N E N S.

---

---

Inter multos, qui hodie T I B I gratulanteur, cum nemo T V O inge-  
nio sagaci et amabili magis, quam ego vius sit, qui T E me ardentius  
amer maiorisque aestimet, nullum certe repieres. T V A E enim humani-  
tati, T V I S amicis consilii, T V O que tandem artium liberalium studio  
non solum omnem fere, qua in hac Fridericana fruor, felicitatem et  
voluptatem debo, sed etiam T V O exemplo edocitus sum, hos optime  
suam rem agere, qui vt T V nulla praeiudicata vincit opinione, non in  
verba, vt dicitur, magistri iurant, sed dicta magis rationis quam  
auctorum, in nostra vt in aliis disciplinis curant. Quo autem maiores  
fructum et delicias ex T V A consuetudine, et haud vulgari doctrina cepi,  
eo minus ob iacturam, quam nunc facio, cum ab hinc discedis, me con-  
solarer nisi T V A M et magnam, quam es generi humano T V A scientia  
adlaturus utilitatem, aequo animo meis commodis anteponerem. T V  
itaque abibis, meque relinquas tamen ita, vt animum, culus sinceritatem  
exoscular, mihi reliquias. Quod quamvis T V A sponte T E esse factu-  
rum confidam, tamen non quia moris est, sed quia maxime mihi est in  
optratis, vt mihi des a T E peto et obsecro. Vale resque  
T V A S feliciter age.

V I R O  
N O B I L I S S I M O A T Q V E D O C T I S S I M O  
C A R O L O F R I D E R I C O L E N T N E R

A M I C O S V O P E R Q V A M C O L E N D O

S. D. P.  
E R N E S T . S A M V E L V H S E

M. C. O P P O N.

Cum te nunc videam in eo esse, ut feliciter ad finem perducis studiis academicis honores summos medicos adepturus sis, atque ad vitam praedicam propius accessurus; non possum non tibi actos labores iucundos impense gratulari. Doleo quidem ex altera parte vicem meam, quod iam propter tuum discessum in eo sit, ut non amplius ex doctissimo tuo sermone vberrimi in me fructus redundare queant, sed ex altera parte laete praeuideo, quam multas utilitates tota patria, tota tua ciuitas, tot aegrotantes ex te dignissimo Aesculapii filio sint capturi. Indefessa industria festatus es medicinae scientiam, quibus quoque factum est, ut solidissimam hancce tibi acquisueris eruditionem et praefens eruditonis specimen proprio marte promptoque calamo elaboraueris. Cape summos, qui tibi offeruntur, honores; erunt enim tibi verissimo praemio, patriae decori, familiae tuae laetitiae et aegrotis saluti. Valeas, meque ut haec tenus fecisti, amare nunquam desinas, etiam atque etiam rogo. Dabam Hal. d. x. Mart.

clo 10 cclxviii.

**ULB Halle**  
001 516 159

3



56

W 18







DE  
NONNVLIS  
CIRCA SVDORES FRIGIDOS  
INFEBRE ACVTA  
ATTENDENDIS

OB

DOCTORIS DIGNITATEM

SOLEMNITER CONSEQUENDAM

DIE X. MARTII cIc Ic CCLXVIII.

PVBICE DISPVTABIT

CAROLVS FRIDERICVS LENTNER

VRATISLAVIENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE

TYPIS CVRTIANIS.